

cathedralibus, et collegiatis insignibus.—Quinto requiritur consensus capituli in suppressione canonicatum, et unione beneficiorum simplicium, propter tenuitatem præbendarum in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus. Ita concilium Tridentinum, sess. 24. cap. xvi. *de Reform.* ubi decernitur, quod tales uniones beneficiorum simplicium cum præbendis, seu harum suppressionem facere solummodo « liceat episcopis cum consensu capituli. » (ADNOTATIO IX.)

20. *Item in unione beneficiorum ex aliis causis.*—Sexto idipsum est dicendum in unione beneficiorum ex aliis causis, puta, ob evidentem necessitatem vel utilitatem faciendam, c. *Exposuisti.* 33. *de Præbend.* Nam requiritur, ut interveniat consensus capituli, c. *Pastoralis.* 7. in fin. *de Donationib.* et Clem. *Si una.* *de Reb. eccles. non alienand.* et tradit Garcias, part. V. *de Beneficiis.* cap. II. numer. 145. 147. et seqq. et Barbosa, cit. cap. XLII. n. 8. cum plurimis aliis, quos citant.

21. *Istud locum non habet in unione cujuspiam Ecclesie facta mensæ episcopali, aut ipsi capitulo: quia tunc requiritur auctoritas Papæ.*—Solum nota, quod istud locum non habeat in unione cujuspiam Ecclesie facta mensæ episcopali, aut ipsi capitulo. Nam, « si Episcopus (sui etiam capituli accedente consensu) mensæ suæ, vel ipsi capitulo aliquam duxerit Ecclesiam uniendam: hoc irritum esse decernimus et inane, contraria quavis consuetudine non obstante: » inquit Pontifex in Clem. *Si una.* § fin. *de Rebus eccles. non alienand.* Et ratio est: quia episcopus, sive capitulum, non potest auctorizare in facto proprio, l. I. et l. *Pupillus.* ff. *de Auctorit. tutor.* et cap. ult. *de Institut.* ac notat Glossa, in cit. Clem. vers. *Mensæ suæ.* inde inferens, quod ad talem unionem auctorizandam sit recurrendum ad Papam. Quod ipsum tradit Abbas, c. Clem. *Si una.* n. 6. Garcias, d. part. XII. cap. II. n. 168. post Rotam in Perusina beneficii. 4 julii 1608, coram D. Penna. et Barbosa, cit. cap. XLII. *de Canonic. et dignitat.* n. 11. aliique plures; qui addunt, quod in unione, quæ fit ad favorem capituli, quam ipsum non poterit auctorizare, requiratur auctoritas summi Pontificis, etiamsi talis unio fiat ab episcopis, tanquam delegatis Sedis apostolicæ, virtute concilii Tridentini, sess. 21. cap. v. *de Reform.*

22. *Solvitur instantia.*—Nec hisce obstant dicta paulo superius n. 19. ubi virtute con-

cilii Tridentini, sess. 24. cap. xvi. *de Reform.* licet episcopis unire cum consensu capituli beneficia simplicia præbendis Ecclesiarum cathedralium ob ipsarum tenuitatem. Resp. enim, aliud esse præbendam Ecclesie cathedralis, vel capituli: aliud, ipsum capitulum. Et quidem dignitati, vel præbendæ, ex causa allegata recte fieri unionem beneficii simplicis virtute citati concilii Tridentini, censuit Rota decis. 788. n. 4. part. I. *Divers.* quam allegat Garcias, loc. cit. n. 170. et Barbosa, d. n. 11. cum aliis. Secus, ubi unio fieret ipsimet mensæ episcopali, vel capitulo.

23. *Spectat jure communi, requiritur consensus capituli in inquirendis, puniendisque excessibus subditorum. Et quid loquendo de consuetudine?*—Septimo, spectato jure communi requiritur consensus capituli in inquirendis, puniendis, et corrigendis subditorum excessibus: alioquin irrita foret sententia episcopi, can. *Episcopus nullius.* 15. q. 7. notat Glossa, fin. in c. *Non est.* 3. *de Consuetud.* in 6. Concordat cap. I. *de Excessib. prælat.* ubi graviter prohibetur, ne episcopi presbyteros sine judicio capituli suspendere, vel eorum ecclesias interdicto subjicere attentent. Additur tamen ly, «spectato jure communi:» quia secus esse potest de consuetudine, juxta dicenda n. 26.

24. *Qualiter requiratur consensus capituli in ventilatione causarum criminalium contra personas in dignitate ecclesiastica constitutas?*—Octavo, requiritur consensus capituli, seu potius duorum canonicorum, a capitulo circa initium anni ad id electorum, in ventilatione causarum criminalium contra personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, vel de collegio capituli Ecclesie cathedralis, aut collegiatae existentes: prout uberius continetur in concilio Tridentino, sess. 25. cap. vi. *de Reform.* Quauquam istud decretum concilii loquatur solum de capitulis exemptis, prout decisum fuisse a sacra congregatione, declarat. 487. refert Zerola, part. I. *Praxi Episcopali.* vers. *Capitulum.* § 8; Barbosa, cap. XXVIII. *de Canonic. et Dignitat.* n. 2. citans Seraphinum, decis. 493. n. 1. et alios; Vallensis, h. t. n. 5. et Engel, eod. n. 4. inde subjungens, quod in aliis capitulis non exemptis, possit episcopus propria auctoritate contra singulares de capitulo, ad summum cum consilio aliorum, procedere: quia non reperitur textus, qui in processu contra aliquos de capitulo non exempto consensum reliquorum exigit.

25. *Consensus capituli requiritur generaliter in omnibus causis, in quibus alicubi viget consuetudo eundem adhibendi.*—Nono tandem, simulque generaliter, requiritur consensus capituli in omnibus illis casibus, in quibus alicubi viget recepta, atque legitime præscripta consuetudo, ut tale, vel tale negotium sine consensu capituli non fiat. Barbosa, cit. cap. XLII. n. 14. et communis. Nam consuetudo est optima legum interpret, l. *Si de interpretatione.* ff. *de Legib. et c. Cum dilectus.* 8. *de Consuetud.* Imo habet etiam vim legis, postquam est legitime præscripta, can. 5. dist. 5. cum concordantiis; sicque in proposito vel maxime est attendenda, atque observanda: alioquin, quod sine consensu capituli per episcopum, aliumve prælatum habentem sub se capitulum, gestum fuerit, nullius erit roboris et momenti. Occasione cujus vicissim

26. *Valet consuetudo, in præmissis casibus non requirendi consensum capituli.*—Quæritur IV. Utrum in præmissis casibus valeat consuetudo non requirendi consensum capituli? Resp. I. Etsi prædicta procedant spectato jure communi, ac seclusa speciali locorum consuetudine: nihilominus consuetudo in proposito plurimum valet, ac proinde in praxi bene est attendenda. Ita communis; et patet ex c. *Ea noscitur.* 6. h. t. ubi consuetudo ejusmodi non solum censetur valida, sed etiam æquiparatur privilegio, quod habet prælatus, ut solus sine consensu capituli possit v. g. instituere in beneficio, illis verbis: «Nisi ex antiqua et approbata consuetudine, vel concessa libertate (id est, privilegio, ut explicat Glossa, ibid. vers. *Libertate*) probetur,» non requiri consensum capituli, concordat textus expressus in c. *Non est.* 3. *de Consuetud.* in 6. sic loquens: «Non est (dum tamen alias sit præscripta canonice) consuetudo, quam allegat episcopus, reprobanda: quod in inquirendis, puniendis, et corrigendis subditorum excessibus, consilium sui capituli requirere minime teneatur.» Idipsum desumitur ex c. *Cum Ecclesia Vulterana.* 31. in fin. *de Election.* junctis illis, quæ in lib. I. *Decretalium.* tit. IV. generaliter de consuetudine tradi solent, atque ibidem jam dicta fuerunt.

27. *Eaque passim introducta est, ut in plerisque casibus episcopi sine consilio, vel consensu capituli, procedere valeant.*—Et hoc adeo verum est, ut Ludov. Engel h. t. n. 5. citans Stephanum, Gratianum, *Decretat. forens.*

cap. x. n. ult. et Zerolam in *Praxi episcopali.* part. I. vers. 1. *Capitulum.* n. 8. asserat, consuetudine, vel præscriptione passim introductum esse, ut in plerisque casibus sine consilio, vel consensu capituli, episcopi procedere valeant. Quinimo Nicol. Garcias, part. V. *de Beneficiis.* cap. IV. § 2, n. 139, mihi, fol. 540. refert Lambertinum *de Jure patronat.* 3. part. lib. II. q. 1, art. 4, dicentem, quod hodie possumus dicere titulum, *De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli,* recessisse ab aula: quia episcopi hodie omnia expediunt sine consensu capituli. Quod Lambertini assertum, an hic et nunc revera subsistat, oportet illos judicare, quorum interest respondere in praxi ad casus particulares: nam, uti patet ex allegato textu cap. *Non est.* 3. *de Consuetud.* in 6. talis consuetudo debet esse præscripta canonice: sicque asserenti, eam esse talem, incumbit probatio.

28. *Solvitur instantia ex c. Novit. h. t. de sumpto.*—Objicies majoris claritatis gratia contra datam conclusionem. In c. *Novit.* 4. h. t. dicitur, quod in hujusmodi casu non petere consilium capituli, sit contrarium honestati: atqui consuetudo contraria honestati, veluti repugnans bonis moribus, non valet, c. *Cum decorem.* 12. *de Vita honestat. cleric.* ergo. Resp. conclusionem proxime datam loqui de consuetudine legitime, seu canonice præscripta: talis autem non fuit ea, de qua loquitur cit. c. *Novit.* h. t. uti desumitur ex eo, quod ibidem nulla fiat mentio de aliqua consuetudine, sed solummodo taxetur factum Hierosolymitani patriarchæ: ac proinde non mirum, quod Papa censuit esse contra honestatem, bonosque mores, quod prælatus ille sine consensu capituli ardua Ecclesie negotia tractaverit: cum istud non sit dubium, sanctorum Patrum constitutionibus contrarie, quibus consuetudo necdum præscripta neuliquam derogat. Accedit, quod idem patriarcha «omniis membris, seu capitulo, aliorum consilio in negotiis Ecclesie suæ utebatur:» quod non deest, inquit Pontifex. Ex quibus verbis patet etiam, ibi non agi de petendo consensu capituli, sed duntaxat de adhibendo ejusdem consilio: ac Pontifex præcipue taxat memoratum patriarcham, indecensque asserit, quod ipse «omissis membris (seu canonicis) aliorum consilio in Ecclesie suæ negotiis utebatur.» Et talem consuetudinem, requirendi videlicet in negotiis Ecclesie suæ con-

silium aliorum, spretis canonicis, veluti contrariam honestati, « forte non tenere, » notat Abbas, ibid. n. 5. istud desumens allegato textu. Et additur, *Fortè*: nam si istud fieret ex justa causa (puta, quia canonici essent suspecti, eo quod v. g. suborta controversia inter episcopum, et consanguineos canonicorum, subesset periculum, ne hi suis consanguineis revelarent secreta episcopi) non repugnaret honestati, omissis canonicis adhibere consilium aliorum; ac proinde talis consuetudo valida existeret. Hostiensis, cit. c. *Novit.* vers. *Aliorum consilio ac in Summa.* n. 2. vers. *Sed quid si, eod.;* Pirhing. h. t. n. 15. (ADNOTATIO X.)

29. *Quænam negotia per episcopum expediri debeant cum consilio capituli? Spectato jure communi, episcopus non nisi cum consilio capituli in beneficiis instituere debet abbates, abbatissas, aliasque personas ecclesiasticas.* — Quæritur V. Quænam negotia per episcopum expediri debeant cum consilio capituli? Resp. I. Spectato jure communi, ac seclusa speciali locorum consuetudine episcopus non nisi cum consilio capituli in beneficiis suis instituere, et destituere debet Abbates, et Abbatissas, aliasque ecclesiasticas personas. Textus est in c. *Novit.* 4. h. t. Concordat textus notabilis, contentus in c. *Quanto.* 5. eod. idipsum ampliatis ad alia Ecclesiæ negotia, illis verbis, « Fraternalitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus, et confirmationibus, et aliis Ecclesiæ tuæ negotiis, fratres tuos requiras, et cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragas, et pertractes: et quæ statuenda sunt, statuas, et errata corrigas, et evellenda dissipas, et evellas. » Hæc ibi. Atque istud maxime observandum esse in illis, quæ ipsa capitula contingere dignoscuntur, habetur cap. ult. eod. Quamquam etiam in proposito attendendæ sint laudabiles, et canonicæ præscriptæ consuetudines Ecclesiarum, conformiter dictis n. 25 et 26.

30. *Atque ubi in ordinatione clericorum tenebatur adhibere consilium capituli: secus de facto.* — Resp. II. Insuper spectato jure communi antiquo, episcopus in ordinatione clericorum, seu in ordinibus conferendis, consilium canonicorum, sive capituli adhibere tenetur, can. *Episcopus sine.* dist. 24. juncta Glossa, un. ibid. De facto tamen sufficit, examen ordinandorum instituere juxta Decretum concilii Tridentini, sess. 23. cap. IV et v. ac VII. de *Reform.*

31. *Episcopus de capituli consilio debet providere, ut habeatur lectio Sacræ Scripturæ, doceaturque grammatica.* Rursus vigore concilii Tridentini, sess. 5. cap. I. de *Reform.* episcopus de capituli consilio debet providere, ut habeatur sacræ Scripturæ, seu theologiæ lectio: atque in hunc finem cum consilio capituli eligere idoneum magistrum, qui clericos, aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, transire valeant.

32. *Potest episcopus convocare capitulum, eique aliquid ad deliberandum proponere.* — Resp. III. Ad meliorem causarum expeditionem, seu decisionem, potest episcopus canonicis capitulariter congregatis aliquid ad deliberandum proponere; imo et in hunc finem capitulum convocare, vota que ipsorum exquirere, et juxta ea concludere: dummodo « de re ad suum, vel suorum commodum spectante non agatur. » Ita concilium Tridentinum, sess. 25. cap. VI. *Qui si aliquid.* de *Reform.* Eo tamen addito, quod « absente episcopo omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat, perficiatur; nec ad id vicarius episcopi admittatur, » etc.

33. *Et quid, si de re ad episcopi, vel suorum commodum spectante agatur?* — Additur notanter, dummodo « de re ad suum, vel suorum commodum spectante non agatur: » Quia casum istum expressis verbis concilium loc. cit. excipit: ac proinde, si talis casus capitulo ad deliberandum proponeretur, non posset episcopus interesse, vota que canonicorum exquirere. Diminueretur enim facultas libere votandi, ob respectum proprii episcopi: simulque cum episcopo non posset esse iudex in propria causa, nullum huic competeret votum decisivum. Barbosa, tract. de *Canonic.* et *Dignitat.* cap. xxxv. n. 9. post *Armendarum* lib. VII. de *Episcopis.* n. 48. et alios, quos citat.

34. Secus dicendum de rebus ad episcopalem dignitatem spectantibus, in quibus ipse iudex esse potest: tunc enim volens aliquid ad deliberandum proponere, poterit episcopus capitulum convocare, vota que canonicorum exquirere, ac juxta ea concludere. Barbosa, part. III. de *Offic.* et *potest. episcop.* allegat. 73. et tract. de *Canonic.* et *dignitat.* cap. xxxv. n. 7. citans alios; atque referens declarationem sac. congregationis concilii, sub. die 2 martii, 1619. Et quamvis episco-

pus etiam, ubi de suo, vel suorum commodo agitur, possit capitulum congregare, atque rem ad deliberandum proponere: debet tamen tunc canonicos capitulares relinquere solos, ut ipsi libere rem discutiant, et determinent. Barbosa, d. tract. de *Canonicis.* cap. xxxv. n. 8. citans alios. (ADNOTATIO XI.)

§ II.

UTRUM PRÆLATUS ABSQUE CONSENSU CAPITULI POSSIT REPUDIARE LEGATUM FACTUM ECCLESIE, PRÆSERTIM DE REBUS IMMOBILIBUS?

35. *Proponitur ratio dubitandi, et sententiam negativam tenendi.* — Celebris est hæc quæstio, et tam inter theologos, quam canonicistas multum controversa, loquendo tamen de re immobili: nam res mobiles Ecclesiæ posse per prælatum alienari, sicque etiam valide repudiari, aliunde patebit. Verum loquendo de rebus immobilibus, ratio dubitandi, simulque sententiam negativam tenendi, est: quia prælatus solus (hoc est, absque consensu capituli, servatisque cæteris solemnitatibus juris) nequit alienare bona Ecclesiæ, præsertim immobilia, can. *Monemus.* 12. q. 2. et cap. ult. de *Rebus Eccles.* non alienand. cum similibus: atqui prælatus repudiando hujusmodi legatum, alienaret rem Ecclesiæ; ergo. Minor probatur multipliciter. Nam imprimis talis repudiatio legati, in jure expresse dicitur alienatio, l. *Magis puto.* § *Fundum.* ff. de *Rebus eorum, qui sub tutela,* etc. ibi: « Fundum autem legatum repudiare pupillus sine prætoris auctoritate non potest: esse enim et hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat. » Deinde legatum acquiritur in continenti ipsi Ecclesiæ, cui fit, l. *A Titio.* ff. de *Furtis,* ibi: « Ea quæ legantur, recta via ab eo, qui legavit, ad eum cui legata sunt, transeunt. » Et acquirunt etiam ignorantibus, l. *Cum pater.* § *Surdo.* ff. de *Legat. II.* Ubi Summarius recte ait: « Legati onus, et emolumentum quæritur etiam ignorantibus, » cum concordantiis. Et consequenter prælatus legatum Ecclesiæ repudians, vere alienaret rem Ecclesiæ: quod tamen non potest.

36. *Eademque amplius confirmatur.* — Nec sufficit, si dicatur, quod ante acceptationem necdum Ecclesiæ sit acquisitum jus in re, sed tantum jus ad rem. Nam contra

est: quia imprimis per suam renuntiationem nequit prælatus Ecclesiam tali jure ad rem, sibi jam quæsito, privare: alioquin illud alienaret, atque Ecclesiæ conditionem quoad jus ad rem jam quæsitum, faceret deteriores. Insuper jus ad rem parit actionem, ut certum est: atqui cessio actionum nequit fieri sine solemnitatibus juris; quia est species alienationis, l. *Bonorum.* 49. ff. de *Verb. signif.* ubi dicitur: « Æque bonis enumerabitur etiam, si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus: nam hæc omnia in bonis esse videntur. » Accedit textus in l. *Qui actionem.* ff. de *Reg. Jur.* ibi: « Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. »

37. Confirmatur idipsum ex eo. Quia prælatus tenetur procurare utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, eidemque acquirere, quantum potest: alias tenetur de suo satisfacere, can. *Quicumque.* 12. q. 4. et Glossa, ibid. vers. *Aut neglectum,* juncto can. *Sine exceptione.* 12. q. 2. et Glossa, ibid. vers. *Profuturum,* cum similibus. Atqui istud non fieret, repudiando legatum Ecclesiæ factum: nam non acquirere, est insidiari, per textum in l. I. § *Confertur.* ff. de *Collation. bonor.* ibi: « Cæterum si id egerit, ne quid acquireret — hic etiam sibi insidiatus est. » Accedit, reg. 76. jur. in 6. « Dilectum personæ (puta, prælati malitiose repudiantis legatum Ecclesiæ factum) non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare: » atqui istud fieret, si valeret ejusmodi repudiatio; ergo. Atque ob hæc potissimum rationes, sententiam negativam tenent multi doctores: ut Baldus, in l. *Contra juris.* § 1. ff. de *Pactis;* Ancharanus, c. *Ut super.* n. 6. et Joan. de Imola, ibid. de *Rebus Eccles. non alienand.;* Alexander, in l. *Legatum.* ff. de *Legat. I.* Angelus, vers. *Alienatio.* n. 16. citans Paulum de Castro, consil. 2; Azorius, part. II. lib. IX. cap. 1. quæst. 12, hanc sententiam appellans probabilior; Quaranta, in *Summa Bullarü.* vers. *Alienatio rerum Eccles.* allegans Molinam, de *Contractib.* disp. 468. n. 11; Pinellum, de *Bonis maternis.* lib. I. part. III. n. 403. et alios: hancque sententiam theorice probabilior, censet Ludov. Engel, tit. de *Rebus Eccles. non alienand.* n. 9. etsi cæteroque problematice procedat. His tamen non obstantibus.

38. *Affirmativa sententia, videlicet, validam esse repudiationem talis legati factum a prælato Ecclesiæ, etc., videtur probabilior.* Eaque